

/ Illustriss^{me} et Reveren^{me} Domine, perpetuo mihi colend^{me}.

Gratia et pax Christi.

Accepi D.V. litteras suavissimas, et omnium operum suorum recognitionem, quam ego accurate perlegi, tum ut characterum distinctionem pro typographis notarem, tum ut, si qui errores amanuensium excidissent, observarem. Utrumque praestiti sedulo, simulque duos tresve male citatos Scripturae locos emendandos duxi. Haec igitur erit quasi totius operis *προποσίσιον* quemadmodum sibi placere per litteras D.V. significavit. Hoc tamen peto, quoniam D.V. homilias
10 quae nomine Eusebii Emisseni circumferuntur, illius esse et merito negat, et D. Cardinalis Baronius in 5. tomo Annalium eas Eucherio Lugdunensi tribuit, ut mihi liceat cum bona D.V. venia, eum reponere inter eos quibus illae homiliae a D.V. tribuuntur, vel certe ei principem locum dare. Indulgeat hoc quaeso non mihi, sed huic
15 civitati, si tamen hoc gratum habuerit.

Porro D.V. controversias ex Veneta editione anni 99 supra sexquimillesimum apud minimam Societatem editas habemus, in qua iam correctiones quas ex Urbe misit insertae sunt; ego vero mihi hebraica recognoscenda reservavi, quae cum Plantiniana editione con-
20 tuli, ex qua errores graves, qui in illa observati sunt, sustuli, saepeque integros versus pro iis quos habuerat prave descriptos reposui, dedique operam ut hebraea per voces latinas explicata commode legi possint. Iamvero maior mihi deinceps incumbet cura in emendandis illis foliis, quae experiendi causa cudi solent, faciam-
25 que quantum potero, ut ex illis omnes abstergantur errores: tamen hoc polliceri non audeo, ut opus omne *ἀνεμάρτητον* exeat; sic enim censeo de libris, sicut satyricus de hominibus: Nam vitiis, inquit, nemo sine nascitur; optimus ille, qui minimis urgetur. Non tamen ita sum religiosus, ut si gravis adeo error sit ut sensum perver-
30 tat, folium integrum quin recudendum curem. Ediderat non ita pridem typographus satis bonum librum ex nostris; is quadam correcto-

/ ris oscitantia pro veste sacerdotalis, peste sacerdotali typis mandaverat; hoc erratum non inter alia reponendum censui, sed plane recudendum folium indicavi, sicque factum est. Itaque providebo quantum potero diligenter, ut D.V. in correctione fiat satis. Quod si
 5 nostra aliqua oscitantia (nam quandoque bonus dormitat Homerus) contingeret grave aliquod erratum commissum fuisse, culpam ita emendabimus, ut bibliopola ad folium reficiendum inducatur.

Comperi autem bibliopolam esse Parisiensem, qui editionem novam iuxta Venetam editionem ea in urbe sit aggressus a multo tempore,
 10 quod Pillehotio nostro multum stabit, et non multum D.V. placebit; credo quod praeter errores proprios, quos illa editio secum afficit, multos alios novos adiunctos habebit, qui novam hanc editionem deformabunt. Quid poterit huic malo adhiberi remedii, D.V. si placet, cum R.P. Richehomio nostro considerabit.

15 Psalmorum expositio, quam D.V. molitur, magnam non mihi solum, sed omnibus quibuscum de ea egi, desiderium eius videndae excitat. Si ego in partem aliquam eius laboris assumi a D.V. potero, id in magni beneficii loco tota vita ducam, ut si versiculi biblicorum notandi, si graeca latine reddenda, si hebraea latinis ~~verbis~~ vocibus
 20 exprimenda, si margini quid adiungendum ducit, denique quicquid in me erit, poterit mihi imponere; ego non quasi bos lassus sarcinam reiiciam, sed lubens volensque ad finem usque perferam; plurimumque operae pretium me fecisse iudicabo, si in tam insigni praeclaroque labore aliquid conferre potero. Sed nimis forte multa de me polliceor,
 25 ceor, qui meus non sim. Interim hoc quaecumque dictum meum, meae erga D.V. observantiae et obsequii erit testimonium, Valeat in multos annos D.V. observand. meque Deo in suis commendat sacrificiis. Lugduni, 27 martii 1608.

D.V. Illust^{mae}

/ Arch. Vat. Mss. Gesuit. 18 fol. 103. Or

Servus in Christo

humillimus Petrus Maturus sacerdos.

 Illust^{mo} et Rever^{mo} Domino perpetuo mihi colend^{mo} D. Roberto Bellarmino S.R.E. Cardinali amplissimo. Romam.